F. IOANNIS DE CAILLEMER
S. THEOLOGIAE DOCTORIS
Ecclesię Diui Io. in Insula Corbulensi Prioris

necnon Eminentiss. ac Reuerendiss. D.

MAGNI MAGISTRI
A SECRETIS.

ORATIO
AD S.MVM D. N.


INNOCENTIVM X.
PONT. OPT. MAX.

Dum Ill.mus S. Ordinis Hierosolymitani Marescallus, ac Legatus expressè missus, Em.mi M. Magistri, Totiusque S. Religionis nomine, summos eidem Pontifici gratularetur delatos honores, debitumque obsequium, ac obedientiam redderet.

Habita in Consistorio pridie Nonas Martias An. D. 1645.



ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apostolicæ. 1645.
SVPERIORVM PERMISSV.



ORATIO.

DVM Totus ad Te per suos Legatos Christianus affluit Orbis; dumque gestientis Ecclesiæ, ac sibimet ipsi pro felicissima Euectione tua iure optimè merito gratulantis, lætitiæ vocibus vndecunq; personat aër, si nulli mortalium licitum sit silere, at maximè nobis (Pater Sanctissime) loqui conuenit, & exultare, qui longis fatigati tribulationum procellis, cùm Te factum audiuimus totius mundi arbitrum ac Moderatorem, futuræ tranquillitatis veluti Sydus exoriens proni ac iubilantes suspeximus. Omnimoda siquidem fuimus perfusi lætitia, communi videlicet &

priuata; quando delato nobis ad vltimos vſq; catholici orbis fines auſpicatiſsimo Exaltationis tuæ nuntio, Patrem cum cæteris fidelibus ipſamet Clementia mitiorem, ſpecialeq; Nos humillimi Beatitudinis Tuæ clientuli Religionis noſtræ Tutelare Numen accepiſſe reſciuimus. Quantò etenim Sacer Ordo tuus Hyeroſolimitanus erga Romanam Sedem pietate ac obſeruantia cæteros omnes ſemper ſtuduit ſuperare; tantò etiam illius, ab auguſtiſsimo hoc Eminentiſsimorum Cardinalium Senatu declarato Te Pontifice, maius quam cogitatione percipi, aut verbis efferri poſsit, gaudium fuit. Hoc vnum quippe reſtabat afflictis, ac penè proſtratis Religionis noſtræ rebus ſingulare remedium, habere illum in patrem, cuius amor & protectio, ara & ciuitas refugij ſemper fuit omnibus tutiſsima; illique potiſsimùm ſummam rerum humanarum concreditam eſſe, qui per omne anteactæ vitæ tempus talem ſe præſtitit, vt tanquam perfectum, ac omnibus numeris abſolutum primæuæ illius innocentiæ, & integritatis exemplar omnium prædicatione commendaretur.

Sin-

Singula referre quid iuuat? Sole clariora loquor; itaut iam libeat exclamare,

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Christicolas!

quin potius asseueranter cum Apostolo lubet affirmare, Talis decebat vt esset nobis Pontifex, Sanctus, Innocens. ad Hebr 11.

Verùmenimuero si iuxta penitioris philosophiæ secreta; nomina sunt velut omina, monitaue, aut vota rei futuræ; quantam putas debuit animis nostris fiduciam ingerere præclarum istud INNOCENTII nomen, quo ad omnium consolationem, induente te virtute ex alto, faustè ac feliciter inaugurari voluisti? Nomen, inquam optatissimum; cuius suauitate aliquatenus temperaretur Sacrosancta isthæc tua amplissimi secundùm Deum Imperij Maiestas, quæ vix terrarum limitibus continetur; vt esses à filijs in vna venerandus, in altera diligendus, in vtraque prædicandus. Quis enim ille sit, cui non obuersetur, & arrideat Plinianum illud; Maiestatē pari iucunditate condire, summęque grauitati tantùm comitatis adiungere, non mi-

 nus

nus difficile quam magnum esse; proindeque Te nullis vnquam laudibus sufficienter efferendum proclamet, qui rara apud mortales mixtura vtramque reuera colere, ac nomine præferre volueris; simulque in mentes nostras ac tempora reuocare priscos illos optimę Sanctissimæque recordationis Innocentios; Secundum dico & tertium, quorum primus Ordinem nostrum approbauit, alter confirmauit; beneficijs vterque ac priuilegijs amplissimis decorauit: quibus Te, Beatissime Pater, minimè imparem, imò longè superiorem fore confidimus. Hincque fiet, vt Religiosa nostra Militia (Christi potius dixerim, & Tua Pater Sanctissime) velut altera Phœnix, quam nonnisi post quadringentos annos ex fœcundis cineribus iterum iuuenescere naturæ Mystæ prodiderunt, ante quingentos annos ab Innocentijs approbata, & confirmata, Te nunc reparatore INNOCENTIO Senium exuens, in eam ædificij molem dignitatisque splendorem excrescat; vt de ea dici
Aggæ 2. possit, Magna est gloria Domus istius nouissimæ plus quam primæ: Quam enim ad hominum

minum commodum, peregrinorum leuamen, ac infirmorum receptaculum: tutamenque à Paganorum incurſibus mirabiliter illi tui Săctiſsimi prædeceſſores condidere, mirabilius erit à Te penitus quaſi collapſam, ac in mœrore propter tantas quibus concuſſa eſt calamitates iacentem erigi, erectamque ſumma qua polles authoritate priſtino decori reſtitui omni ſanctitate, fortitudine ac gloria in æternum florituram.

Ecce iam nouos afflante tui Numinis ac Nominis auſpicio rediuiua ſpiritus induit, colligit animos, nouos concipit ignes, nouamque in ſeſe animam ebullire ſentit, nec ab immani ſæuiſsimi hoſtis Barbarie quicquam territa (quamuis horrenda Chriſtianorum à Chriſtianis diſsidia maximè tumidos Tyranno illi faciant animos) paſsis in parta nuper victoria diſpendijs facta ferocior, paratam ſe magis ſemper ac magis eſſe teſtatur, ad præliandum prælia Domini ſui; ad alligandos in Pſ.140. compedibus eos qui ſacrum imperium tuum detrectant; & diſperdendos de Ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem, qui diui-

 tias

tias tuas cœlestes tollere gestiunt, Sancta tua polluere, & hæreditate possidere Sanctuarium istud, quod Tibi à Deo commissum est!
Ps. 140. Summa hæc semper erit gloria Hyerosolimitanis Equitibus tuis. Ita profectò est, Pater Sanctissime, ad nutum tuæ prudentissimæ voluntatis constanter exeret sacra nostra Militia gladium suum, ad destruendam superbam illam altitudinem iniquitatis, extollen-
2. ad Cor 10. tem se aduersus scientiam Dei, & Te Christum eius: vt lætari possit iustissimus Inno-
Ps. 57. centius, cum viderit vindictam de hostibus suis.

Suscipe, Beatissime Pater, ignita hæc vota, quæ profert coram Te deuotissima tua Cliens Religio Hyerosolimitana per clarissimum hunc suum Marescallum Fratrem Carolum de Fassion Sainte Iey; quem natalium splendore, sed magè laboribus pro Deo, pro Religione susceptis illustrem, ac omnibus penè Ordinis nostri muneribus egregiè defunctum ad oscula pedum tuorum mittit; vt ibi prouolutus, nomine optimi, ac inter omnes quotquot eum præcessere verè pijssimi Principis

Fra-

Fratris Ioannis Pauli Lascaris dignissimi nostri Magni Magistri, cæterorumque omnium fortissimorum IESV CHRISTI Militum; (quos totidem flores ex nobilissimo Ecclesiæ campo delectos liceat nominare,) Te Patrem ac Dominum animorum effusione, quam maxima veneretur; Te verum IESV CHRISTI Vicarium, Petrique meritissimum Successorem non dubitanter agnoscat; eam, quam debemus, quamque reuera nunc præstat; & vouet æternam, Tibi ac Sanctæ Sedi Apostolicæ obedientiam iuret ac deferat; sese tandem, omniaque sua Tibi veluti primario ac legitimo Domino tradat & consecret.

Foue igitur, Beatissime ac Amantissime Pater, pro ea quæ in Te est infinita benignitate, Nobilissimum hunc missum, deuotissimosque mittentes, tanquam filios supremæ Dignitatis tuæ Zelantissimos, summæ authoritati tuæ quàm maximè addictos, cupidissimosque sanctis tuis præceptis ac monitis fidelissimè obtemperandi. Iucundius illis nihil vnquam poterit euenire, quam si eorum erga Te studium ac obsequium præcipua

quadam charitate complecti, singularique paternæ voluntatis affectu digneris accipere.

At, quidni planè confiderent in dilectissimorum filiorum tuorum admitti numerum fortes athletæ Christi? strenui, ac solliciti fidei Christianæ propugnatores? per quos Deus (absit inuidia dicto, sanctissimi etenim INNOCENTII verbis vtor) Orientalem Ecclesiam, Terram illam quæ IESV nascentis excepit vagitus, concionantem audiuit, mirandis operibus certissima Diuinitatis suæ signa dantem obstupuit, tandem sublatum in Crucem, ac proprio Sanguine maculas nostras abluentem spectauit, à Paganorum spurcitia liberare, & Christiani Nominis hostes iam à quinque retrò sæculis voluit expugnare: vt vnde olim in fortitudine manus suæ tenebrarum principes exturbarat; inde & ipsorum satellites filios diffidentiæ, cum Diuo Bernardo loquor, in manu fortium suorum dissipatos exterminaret; faciens etiam
Luc.1. tunc redemptionem plebis suæ, rursumque erigens cornu salutis in domo Dauid pueri
sui

sui. Hi sunt Beatissime Pater, supra fundamentum Apostolicæ Sedis superædificatæ virtutis Columnæ, quos terrores Turcarum, firmamenta, & propugnacula Christianorum vniuersa sentit, & pridem demiratur Europa. Hi sunt, quos elegit Deus, & collegit à finibus terræ fideles ministros, qui veri lectulum Salomonis, sacram scilicet Ecclesiam, vigilanter custodiant, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi; semperque non ad suas modo fortunas, sed ad sanguinem quoque & vitam pro Sanctissimæ huius Sedis dignitate libenter profundendam promptissimi. Hi sunt denique, qui Tibi, Pater Sanctissime, maiori ardentiorique præ cæteris affectu fausta omnia, ac prospera benè precantur; & quo facilius magna illa, quæ à Te expectantur, perficere possis, continuis precibus à summo rerum omnium Moderatore Deo enixè postulant, vt communi Ecclesiæ, Christianæque Reipublicæ commodo non minùs diù Pater ac Pontifex noster viuas, quam Te longo Pontificatu dignum vixisse, omnes qui verè, & incorruptè iudicant,

a Ephes. 2. Cant. 3.

cant,

cant, confiteantur. Audi vota, (o ter Optimè Maximè Deus,) quæ supplices Hyerosolimitani promunt funduntque, & pro suaui gestientis, ac gratulabundi animi impetu lubenter in hoc augustissimo Patrum Confessu per me testata esse voluerunt.

Dixi.

LAVS DEO.



RESPONSIO

Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini

GASPARIS DE SIMEONIBVS

Sanctiss. D. N. Secretarij.

PRocurrat sanè alacris in Romanæ Ecclesiæ complexus Hierosolymitana Religio; &, suis quæsitam meritis, sumat Apostolicæ responsionem caritatis, quam in ipsa Christianæ Fidei propugnatione promereri diù potuit armata, vt inermis de expugnata impietate Vaticanæ arcis sanctitas triumpharet. Hanc enimuerò, quam ad Sanctissimi Domini Nostri pedes, Hierosolymitani Magni Magistri, atque Ordinis nomine, Generose Orator, ponis, ac firmas fidei, atque obedientiæ sponsionem, Sanctitas Sua, ab se, ac Venerabilibus suis Fratribus S.R.E. Cardinalibus peramanter exceptam, ea muneratur accersitæ è Cælo faustitatis apprecatione, expositaque in vestram dignitatem, atque opem

bene-

beneuolentia; vt exin & gloriosam sibi, & Christianæ Reipublicę salutarem operam fortissima Religio confidentior audeat polliceri. Pergat iam nunc illa, Cæli præsidio, ac Pontificijs votis innitens; &, grata armorum, animorumque consensione, in Orientem prouehat sacras vires, excisuras infensam Hydram, bonorum spolijs, ac cædibus saginatam. Illa, illa vos compellat, repetita piorum votis Regio, parens, atque altrix vestræ virtutis, ac nominis: illa Diuinis olim impressa vestigijs tellus; illa Dei sanguine respersa; illa Diuinitatem etiamum spirans, vestras dexteras vindices opperitur. Sic, per vos non vltrà captiuæ, suæ sese vobis pretium libertatis addicent Idumææ palmæ: sic, excusso nefario iugo, demittent se vestris armis iuga Libani,
Isai.35. cuius gloria Hierosolymitanę Militiæ iampridem data est; eique recentem, inter auitas, ac priscas Lauros, attexet Cedrus coronam immortalitatis.

In hanc sententiam respondere me iussit Sanctissimus Dominus Noster.